

Q.K.  
380  
4

X 2346606

27.

II n  
1384

DE  
SEPVLTVRA IMPERATORVM SPIRENSI  
BREVIS COMMENTATIO,

QVAM  
SERENISSIMO AC CELSISSIMO  
PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO  
CAROLO,  
BRVNOVICENSIVM ET LVNE-  
BVRGENSIVM DVCI REGENTI,

OFFERVNT MENTE HVMISSIMA  
LVDOVICVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ,  
AVCTOR,  
ET  
CAROLVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ.

FRANCOVSAE, LITTERIS KEILIANIS,  
ANNO MDGGLII.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



MABILLONIVS in Itin. Ital. Tom. I. Part. I.

p. m. 149.

MALE. PEREAT. INSEPVLTVS  
IACEAT. NON. RESVRGAT  
CVM. IVDA. PARTEM. HABEAT  
SI. QVIS. SEPVLCRVM  
HVNC. \* VIOLARIT.

\* Petit ueniam masculinum genus, ita enim habet  
textus.





uanquam certo scimus, nihil,  
nisi perfectum ingenio atque  
summa elaboratum industria  
TVO, SERENISSIME  
DVX, splendidissimo nomi-  
ne dignum esse; tamen neque TVVM fasti-  
gium, neque nostrarum pagellarum mediocri-  
tas impedit nos, quo minus mentem humilli-  
mam, qua TE, uix forsan solo nomine TIBI no-  
ti, demisse ueneramur, publice testemur. Atque  
id profecto eo magis, cum patria nostra Princi-  
pes duos in TVA tutela haud sine insigni laeti-  
tia esse uideat, qui ei in spem atque solatium  
dati esse a summo Numine uidentur.

Intelligimus Principum nostrorum felici-  
tatem, quibus talis tutor contigit, qualem

) 2

prae-



praestans singularisque eorum uirtus mereri uidebatur. Quis enim unquam tutor magis caros atque in deliciis habuit pupillos, quis ad eorum salutem uigilauit acrius, quis circa educationem cura maiori est uersatus, quis unquam tenellos animos uirtutibus principum personas decentibus magis instruxit, quis denique magis eorum gloriam a maioribus acceptam multis praeclarisque uirtutibus augendam curauit? Valde quoque gaudere scimus Serenissimos Principes nostros, Schwarzburgicas terras iam Regentes, in diuersis negotiis agendis focium TE, SERENISSIME DVX, habere exoptatissimum.

Sed si etiam nulla re alia ad hanc nostram commentationem TIBI mente deuotissima offeren-



ferendam moti essemus, quam singulari illa  
clementia ac humanitate, qua eos, qui sunt ex  
castris Apollinis excipere soles; haec unica ta-  
men causa nobis sufficeret ad ueniam non so-  
lum petendam, uerum etiam impetrandam.  
Tantae caritatis bonarum artium testimonium  
maius quod afferri potest, quam CAROLI-  
NVM illud celeberrimum, nomine tanto di-  
gnissimum, academiis ob futuros bonos ciues  
carissimum?

Quodsi etiam principes magis amari de-  
bent ob ea, quae multis, quam quae pau-  
cis hominibus praestant; inficiari quis potest,  
tanto magis TE, SERENISSIME DVX,  
amandum, tantoque maiori pietate ueneran-  
dum esse, quanto grandior hominum est mul-  
titude, quam summis affecisti beneficiis?

X 3

Quam



Quam ob rem quid Germaniae nostrae,  
quid terris Brunsvicensibus, quid nostris regio-  
nibus, quid denique omnibus, qui litteris ope-  
ram dant, carius atque acceptius esse potest,  
quam eius Principis incolumitas, qui terris suis  
patriaeque consiliis pacem seruat, in cuius ma-  
nibus Principes, carissima decora nostra, edu-  
cantur, atque quo maius Musis non est praesi-  
dium & ornamentum? Deus itaque Optimus  
Maximus TE, SERENISSIME DVX, Im-  
perii claritate felicissimum, incolumitate per-  
petua condecoratum, seruet per annos multos.  
Vivas ad summam senectutem simul cum  
CONIVGE dilectissima, pulcherrimo illo  
benignissimi Numinis Munere, gratia TVA  
haud indignos nos existimes, ualeas,  
florescas!



Bene-



## Beneuolo Lectori

S.



Non opus nobis esset, tenui filo deductae huic nostrae commentationi, de Sepultura Imperatorum Spirensi, meditari praefatiunculam, nisi ostendenda uideretur ratio, ob quam hanc sumserimus scribendi materiam. Pergere animus erat in iis coaeuorum scriptorum auxilio explicandis, quae in historia diui Rudolphi I. de cuius electione singularem scripsimus libellum, notatu digna uiderentur. Quam propter causam tristissimum illud ultimumque iter Spiram quod suscepit Imperator Rudolphus, occasionem ansamque nobis praebuit, de Spirensi sepulcro exponendi. Accipias, B. L. in bonam partem hunc nostrum libellum, & indignum laude, dignum iudices excusatione.

Elen-



## Elenchus

- §. I.) Sepultura omni tempore usitata fuit.
- §. II.) Sepultura ueterum Germanorum, ac sepulturae in templis initium.
- §. III.) Olim non fuit locus perpetuo Imperatorum sepulcro destinatus.
- §. IV.) Saepissime tamen in templis, quae ipsi exstruxerant, sepulti sunt Imperatores.
- §. V.) Conradus II. beneficiis maximis ornat Spiram.
- §. VI.) Ibiq̄ue exstruit templum amplissimum.
- §. VII.) Diuersae de sepulcro Spirensi scriptorum sententiae.
- §. VIII.) Conradi II. tempore libera erat potestas Imperatoribus eligendi sibi in Germaniae quacunq̄ue parte tumuli locum.
- §. IX.) Quid sentiat hac de re Iohannes de Mutterstatt.
- §. X.) Conradus II. legem de sepulcro ferre non potuit.
- §. XI.) Pauli Langii de Spirensi sepulcro sententia.
- §. XII.) Lehmanni hac de re optimum iudicium.
- §. XIII.) Conradus II. testamento uoluntatem suam de sepulcro Spirensi declarasse uidetur.
- §. XIII.) A priuatis sepulcris, ad sepulcrum Imperatorum Spirensi ducitur argumentum.
- §. XV.) Imperatores gloriae sibi duxisse, in sepulcro uicinos habere alios Imperatores, exemplo Rudolphi I. probatur.
- §. XVI.) Galli in Spirensi templum incendium excitarunt.

§. I.





§. I.



sepultura hominis, ultima circa  
humanum corpus cura, omni  
tempore usitata fuit, ita, ut  
non immerito dicas, primos  
statim terrae incolas atque habitatores huma-  
tos, & sepultura affectos fuisse. (a) Multis gra-  
A uibus-

(a) Eleganter hoc probatur in SAVRMANNI Tractatu:  
*de sepulcrorum & sepulrorum religione. Cap. I. §. 6.*



uibusque docuere argumentis doctores, conueniens hoc esse aeternis illis naturae humanae legibus; sed nemo simplicioribus, quam GRO-TIVS, <sup>(b)</sup> quae ideo certissima, quia simplicissima. Namque homo, cum omnibus rebus antecellat animantibus brutis, seu animam seu corpus spectes, indignum sane unicuique non potest non uideri dignitate, qua pollet humanum corpus, pasci eo bestias, feras, belluas.

Edocemur atque instruimur a summo Numine, esse haud paruam hominibus felicitatem, cum animus corpore excesserit, sepulturae dari. Minatus enim per Prophetas inuisis sibi regibus est Deus, sepultura illos iri prohibitos;

(b) de Iure Belli & Pac. L. II. Cap. 19. §. 2. n. 4.



bitos ; et optimos quosque principes in sepulcro, quod fuit Hierosolymae, fuisse sepultos, sacri canunt annales.

Plerisque etiam populis, exceptis illis, quibus igne mortuos cremandi mos erat, consecratus erat locus, in quo mortuos principes humarent. Sic Iudaeorum regibus Hierosolymae, uti iam dictum a nobis est, commune, nobile, sanctum sepulcrum fuisse scimus ; & reliquas gentes habuisse non solum tumulos principum sed etiam loca certa destinataque illis, affirmare nulli dubitamus.

Sed ne Germanos, maiores nostros, perpetua memoria dignissimos, silentio inuoluisset



uideamur, de horum principum sepultura specialim exponemus paucissimis.

§. II.

Ad Germanos itaque ueteres quod attinet, hos, uti omnibus in rebus, ita praesertim in clarorum uirorum funeribus magis simplicitatis quam splendoris habuisse rationem, ab (a) auctore rerum Germanicarum florentissimo memoriae proditum est.

Nulla funerum optimorum maiorum erat ambitio. Non cumulabatur rogi strues odoribus, non splendidis uestibus, nec lege de sepulcro non uiolando opus erat aspernantibus, ut grauem defunctis, monumentorum operosorum

(a) TACITVS de morib. Germ. cap. 27.



forum honorem. Sed tempore, & more, a quibus cuncta fere mortalium solent immutari, factum est, ut etiam funerum noua quasi facies euaderet. Constat enim sequioribus temporibus Germanos cadauera suorum sepeliuisse in colle, <sup>(b)</sup> principum uero corpora suspendisse saepius in frondosis arboribus praesertim uero quercinis, quas illi sacras numinibus credebant. <sup>(c)</sup> Atque tenacissimi modestiae huius ingenuae quanquam diu fuerint Germani, postea tamen colles rotundos e terra & cespite congestos habebant, qui nostrorum monumentorum uice fungebantur. <sup>(d)</sup> Felicissimo.

## A 3

<sup>(b)</sup> HACHENBERGII Germania media Diss. XII. §. VII.

<sup>(c)</sup> B. GVNDEINGII obseru. select. ad rem litter. spect. Tom. I. Obs. 6. §. fin.

<sup>(d)</sup> KEYSLERI Antiquit. Celt. Sect. II. Cap. I. §. VI. p. m. 103.



rum saeculorum ortu, quibus religio nostra Christiana a maxima parte Europae coli coepit, tanta horum institutorum morumque facta mutatio est, ut maiorem sane cogitare non possis.

Primi enim Christianorum haud felicius se condi posse existimarunt, quam si haud longe a Martyribus ac Sanctis quiescerent. Atque hoc quidem more Iudaeorum, qui sibi sepulcra circa Prophetarum tumulos, & circa loca sancta elegerunt; adeoque sepulturas communes. (e) Cum etiam primi Christianorum & sacra sua in specubus subterraneis celebrarent,

&

(e) I. Reg. Cap. 13. v. 30. iuncto II. Reg. Cap. 23. v. 16. 17 18. ibi: GROTIUS ex inscriptione Romae reperta: *ut ossa mixta una requiescant.*



& illic Martyres, suorumque corpora conde-  
rent; necessario quodam nexu inde emerfit,  
ut felicioribus religionis nostrae temporibus,  
translatis Martyrum corporibus in templa, iis-  
que superstructis altaribus, dignitate inter Chri-  
stianos eminentes una cum sacerdotibus sepul-  
turas in templis sibi eligerent. (f)

Praecipue fere ad sepulcra in templis sibi  
constituenda Caesares nostros mouit Constan-  
tini M. (g) & Theodosii (h) imperatorum exem-  
plum, ad quod totus, quod aiunt, orbis est  
compositus, qui, ut tumuli honores in templis  
prope sanctos ipsis exstarent, praeceperunt.

Hoc

(f) Dn. de PISTORIUS in Praef. P. V. eruditissimarum  
Amoenitatum Histor. Iuridic.

(g) B. BOEHMERVS in Iure Eccles. T. II. L. III. T. 28. §. 7.

(h) SAVRMANNVS cit. Tract. Cap. II. §. 121.



Hoc initium fuit sepulturae illius in templis, hincque factum est, ut principes aut alii, splendidis natalibus orti, iuxta Martyrum tumulos condi gestirent. (i) Quare etiam Imperatorum nostrorum sepulcra non nisi in templis fuerunt, de quibus nos quidem, pro nostrarum uirium tenuitate, quaedam dicere animo constituimus.

### §. III.

Hoc itaque extra dubitationis aleam positum uidetur, primos statim Germaniae reges sepultos in templis fuisse.

Verum enim uero unum certumque locum, in quem reges illi sint illati, quaesiuimus

(i) B. BOEHMERVS loc. cit.



quidem, sed frustra quaesiuimus; nisi forte magnum illud, & praesertim antiquioribus temporibus opulentissimum Monasterium Laurishamense, in quod Carolus M. quam plurimum liberalitatis contulit, (a) hoc nomine nonnunquam celebre fuisse dicas. (b) Horum enim regum corpora, non ut Galliae regum, quae perpetuum conuentum agere in monasterio sancti Dionysii uidentur, in certo aliquo loco sunt humata, sed iis sepulta sunt in locis, quae aut ab ipsis illis dum uiuerent electa fuerint, aut heredibus placuerint eorum. (c)

Subit animum nostrum recordatio exemplorum huc spectantium.

B

Caro-

(a) *Chronicon Laurishamense* p. 98. & 99. T. I. Collect. FREHER.

(b) *Chronicon Laurishamense* p. III. 112. & 116.

(c) Dn. HEVMANNVS de imperatore mortuo §. VII. p. m. 28.



Carolus, qui Caluus appellatur, locum sepulcro sibi Parisiis in sancti Dionysii monasterio designauerat. Quam propter causam, cum in Italia diem supremum obiret, corpus eius, uti praeceperat, Parisios deferendum curarunt, qui eo tempore simul cum Imperatore in Italia erant. Id quod tamen perfici corpore putrescente cum non posset, sepultum corpus est in Baslica B. Eusebii Vercellensi, & quod notatu est dignissimum, ossa post septem demum annos delata Parisios sunt. <sup>(d)</sup> Pari modo quoque Ottonis III. in Italia repentino mortui, corpus non sine magno periculo atque labore in Germaniam perductum, & Aquisgrani,

(d) ADZLREITER P. I. Anual. Boior. Libr. XII. n. 4.



ni, ita enim iusserat Imperator, in templo hu-  
matum est. (e)

Haec omnia autem eo pertinent, ut de-  
monstrent, quam solertes fuerint maiores in  
exequendis iis, quae de sepulcro suo reges  
praeceperant.

§. IV.

Sed nihil profecto magis solenne serua-  
runt antiqui Germaniae reges, quam, ut in  
templis, quae ipsi exstruxerant, sibi locum se-  
pulcro designarent. Quam quidem rem seu  
illi caritati tribuas eius rei, cuius principes au-  
ctoresque existimus, seu mori, parum refert.

B 2

Nos

(e) HERMANNVS CONTRACTVS ad a. 1002. p. 318.  
Collect. VRSTIS.



Nos interim certissimam rem cum demonstra-  
re non sit difficile, abundanter hoc a nobis  
confirmari exemplis posse confidimus. Quid  
enim dignius extat memoria, quam quod Ma-  
gnus ille Carolus Imperator, qui uel constituerat  
ut in Monasterio sancti Dionysii sepeliretur, (a)  
uel, ut alii (b) malunt, quo in loco corpus eius  
humaretur, non praeceperat, tamen in tem-  
plo Aquisgranensi, & quidem omnium con-  
sensu, (c) ob eam rationem fuerit conditus,  
quia templum illud ipse Carolus aedificandum  
curauerat? Otto Magnus in templo Magde-  
bur-

(a) STRUVIUS in Corpor. Iur. Public. Cap. XIV. §. 3.  
ex Mabillonio hoc refert.

(b) EGINHARDVS in vit. Carol. M. Cap. 31.  
Marburgische Beyträge zur Gelehrsamkeit, viertes Stück,  
I. §. 10. p. 8.

(c) EGINHARDVS Cap. 31.



burgensi, quod eius iussu erat exstructum, sepulchrae dari uoluit. (d) Pari quoque modo Henricum II. scimus fuisse sepultum in templo Bambergensi eius iussu exstructo. (e)

His omnibus demonstrandum duximus id, quod initio affirmauimus, olim non fuisse locum, perpetuo Imperatorum sepulchro destinatum.

Haec quidem ita sese habebat res tempore regum, qui ante Conradum II. uixerunt, de quo Imperatore quaedam dicere iam animus est.

B 3

§. V.

(d) WITICHINDVS Annal. libr. III. in fine p. 663. T. I. Collect. MEIBOM.

(e) WIPPO de uita Conradi p. 461. T. III. Collect. PISTOR. Edit. STRVV.



## §. V.

Conradus Imperator secundus ante acceptam Imperatoris dignitatem ita ignotus fuisse dicitur, ut scriptores nihil fere, quod eo tempore gesserit, memorent. (a) Hoc tamen proditum memoriae est, sedem illum ac domicilium habuisse in arce Limburgensi. (b) Cuius quidem loci suauitate ita ducebatur Conradus, ut delectatione ibidem & in uicinis oppidis habitandi fatiari non posse uideretur. (c) Huius amo-

- (a) fatetur hoc STRVVIUS Corp. hist. Germ. Per. VI. Sect. I. §. 2.
- (b) MUTII Chron. libr. XIV. p. 734. T. II. Collect. PISTOR. Edit. STRVV.
- (c) LAURENTIUS FRIESE ad annum 1026. in LVDEWIGII scriptoribus de Episcopatu Herbipol. p. 466. Vbi notes uelim hunc scriptorem ex ipso archiuorum apparatus sua hausisse. Confer. LVDEWIGIUS in Praefatione.



amoris caritatisque regionum illarum sine dubio erat, quod, summam Imperatoris dignitatem postea adeptus, Spiram, quae caput illius regionis dicitur, (d) maximis beneficiis ornaret. Atque haec beneficia partim ad ipsius urbis emolumentum, partim ad ecclesiarum, quae Spiraee erant, diuitias augendas spectabant. Siquidem hoc relatum legimus Conradum H. ecclesiam clarissimis maximisque beneficiis affecisse, ob pietatem, religionisque amorem, quibus paucos Imperatorum ei pares iudican-

dos

(d) LEHMANNVS Chron. Spir. L. V. Cap. 19. ibi:

Demnach er nun König zu Maynz gekrönt, hat er die Stadt Speyer, als des ganzen Garwes königliche Haupt-Stadt, insonders in Befelch, lieb und bevoꝛgehabt.



dos esse nulli dubitamus. (e) Quo ex fonte felicissimo profluxit affectio illa animi ius suum cuique tribuens, puniens malorum maleficia, ac praepriis turbinum pacis & otii. (f) Spira autem ciuitas Conrado ita curae cordique fuit, ut, ob urbis amorem, **CONRADVS SPIRENSIS** a nonnullis appelletur scriptoribus. (g)

Pietatis

(e) Laudibus extollitur Conradus II. ob eam rem a **PAVLO LANGIO** in chron. Citiz. ad ann. 1025. p. 1138. T. I. Collect. **PISTOR.** Edit. **STRVV.**

(f) **MARTINVS MINORITA** ad annum 1025. p. 1616. in **ECCARDI Corp. hist. Medii Aevi.**

(g) *Historia secunda* seu Annales potius breuissimi de veterum Thuringiae Landgrauior. origine p. 1366. T. I. Collect. **PISTOR.** Edit. **STRVV.** ibi:

**CONRADVS SPIRENSIS genuit ex Gysla Henricum III. &c.** **LEHMANNVS Chron. Spir. Libr. V. cap. 19.**



Pietatis autem huius Imperatoris testimonium maius adferri non potest, quam id, quod mira ratione mirandoque exemplo Spirae templum aedificauerit. Quod templum, cum sit locus, ubi Spirense Imperatorum sepulcrum inuenitur, dignum nostro studio, mererique uidetur, ut, qua ratione, quoque modo Conradus illud exstruxerit, breuiter doceamus.

## §. VI.

Conradus II. ecclesiam Spirensis multis praeclarisque ornauit beneficiis. Namque cum benignissimus esset princeps, pietatemque coleret ut qui maxime, (a) locum dedit precibus

C

Wal-

(a) PAUL. LANGIVS Chron. Citiz. ad ann. 1025. p. 1138.

T. I. Collect. PISTOR. Edit. STRVV.



Waltheri Episcopi petentis ab eo, ut beneficiis augetet eius ecclesiam. (b)

Haud repudians enim has preces pius Conradus, non solum ea, quibus alii Imperatores ante eum ecclesiam Spirensis donauerant, ut & in posterum retinere possit, permittit,

- (b) IOH. de MUTTERSTATT Chron. Spirens. in Perillustri L. B. de SENCKENBERG Select. iur. & histor. T. VI. p. 158. Debemus sane Laudatissimo L. B. de SENCKENBERG auctoris, Mutterstattii scilicet, detectionem, quem ignorauit ECCARDVS, qui suum exemplum, in Corpore Historico Medii Aevi, circa finem collectionis, sub titulo Chronicorum Praefulum Spirensis ciuitatis, ut ex Praefatione didici, ex Codice Hannouerano accepit. In paucissimis certe ab inuicem discrepant, ita tamen, ut, meo quidem iudicio, unum ex altero nonnunquam supplendum, nonnunquam uero, praesertim in chronologicis, emendandum esse uideatur.



fit, (c) sed dedit ei quoque dono Iholingen, (d) seu ut alii dicunt Dolingen. (e) Summa hac in Nemetem urbem (ita enim appellabatur, quae postea a uicino, quodam pago accepit nomen Spirae (f)) Conradi benignitate factum est, ut consilium perpetua laude dignum caperet extruendi ibi templum amplissimum. Conuenit dies, quo ponerentur saxa, quibus tanti aedificii fundamenta continerentur. Quae saxa more etiam nostris consueto temporibus ponere Conradus Imperator animo sibi proposuerat, licet hoc alias ad Episcopi spartam perti-

C 2 nere

(c) Chron. Praeful. Spir. Ciu. in ECCARDI Corp. hist. Med. Aeu. T. II. p. 2260.

(d) Chron. Praef. Spir. loc. cit.

(e) IOH. de MVTTERSTATT Chron. Spir. loc. cit.

(f) IOH. de MVTTERSTATT Chron. Spir. cit. loc. p. 150.



nere uideatur. (g) Atque pietatis singularis quod  
 ederet signum, eodem die multo mane Lim-  
 burgi ipse fundamenta posuit coenobii, quod  
 extruendum curabat. (h) Qua re perfecta ie-  
 iunus, (i) quo summa religione pietateque pium  
 opus perficeret, iuit Spiram, ibique ritu solen-  
 ni posuit fundamentum, quo nititur templum,  
 quod & hodie Spiraë est, Beatae Virgini Ma-  
 riae dedicatum. (k)

Quo

(g) GRENECKII sive KOLBII Examen iur. Canon. libr.  
 III. Tit. XLVIII.

(h) LAVRENTIUS FRIESE ad ann. 1026. in  
 LVDEWIGII scriptoribus de Episcop. Herbip. p. 466.

(i) Chron. Praesul. Spir. Ciu. loc. cit. p. m. 2261.

(k) IOH. de MVTTERSTATT cit. loc. p. m. 158. sq.  
 Descripsit Spirensis templum M. WIMPFELINGIUS  
 eleganti carmine, cui titulus: *Laudes ecclesiae Spirensis*.  
 In M. GEORGII LIZEL *historischer Beschreibung der*  
*Kaiserl. Begräbnis* x. p. m. 13. & sqq.



Quo in templo locus ille reperitur, qui destinatus esse fertur communi sepulcro Imperatorum. Qua de re nunc ita, quantum in nobis erit agemus, ut neque quid ueteres, neque quid nostri aevi scriptores, de hoc sepulcro prodiderunt memoriae, silentio praeteriisse uideamur.

## §. VII.

Sunt, qui asserunt, esse in illo templo locum, communi omnibus Imperatoribus sepulcro destinatum, & hos quidem iure hoc affirmare putamus; sunt uero quoque qui Conradum II. lege fanciuisse contendunt, ut sepelirentur Spirae omnes Imperatores, & horum sententiam subiiciemus examini, ita, ut, rite



subductis rationibus, utrum uera certissimaque sit, aequus rerum aestimator iudicare queat.

Verum quidem est, legi in auctoribus, doctrinae notis ualde insignibus, esse Spiraе tumulum Romanorum Imperatorum. Summi nominis historicus R. P. HERRGOTT in splendidissimo opere: de Genealogia diplomatica familiae Habsburgicae, <sup>(a)</sup> appellare sepulcrum istud non dubitat: *Augustum Imperatorum tumulum*. Pari quoque modo a Mathia Episcopo dicitur Spirense templum: *Principalior sepultura nationis Almanniae Imperatorum*. <sup>(b)</sup>

Haec

(a) T. I. libr. II. Cap. I. §. 7. p. 127.

(b) LEHMANNVS Chron. Spir. libr. VII. Cap. XI. p. m. 648. add. GESTA BALDVINI Libr. II. Cap. 5. *Regum Alemanniae sepulturae ciuitatem deputatam, id est, Spi-*



Haec autem omnia quomodo intelligenda, quaque mente ita a diuersis scripta sint auctoribus, breuiter, Amice Lector, accipe.

§. VIII.

Germaniae reges, sicuti Palatia, ita quoque sepulcra, in diuersis poterant habere prouinciis. (a) Probat profecto exemplorum magna uis, modo in hac, modo in illa Germaniae parte sepultos Imperatores nostros fuisse. (b) Et hoc ad demonstrandum nostrum assertum dixisse sufficiat. Quodsi enim Imperatores omni iure, eligendi sibi in Germaniae quacunque

*Spiram diuertit.* apud Dn. MOSERVM im teutschen Staats-Recht Part: VII. Libr. II. cap. 133. §. 2. p. 19.

(a) Dn. HEVMANNVS de Imperatore mortuo §. VII. p. m. 30.

(b) SLEVOGT de sepulturis Imperator. Sect. I.



que parte tumuli locum, fuissent destituti, sane Germaniae gentes, iura sua semper egregie defendentes, hoc fuisse passas, mirum esset, atque res nigro cygno simillima.

Quare iure suo Conradum II. sibi Spirae constituisse sepulcrum affirmare non dubitamus. Poterat quoque religiosum facere aliquem in Spirensi templo locum, ac iubere, ne quis, nisi Imperator, aut ex Imperatoris familia esset, ibi sepeliretur.

Haec omnia tam certa sunt, ut demonstratione non egeant. Libera enim erat tempore, quo uixit ille Imperator, potestas Imperatoribus constituendi sibi sepulcrum, quouellent in loco. Fluit ex hoc prono, quod aiunt,



aiunt, alueo. Spirense templum & nostro, quo iam uiuimus tempore recte Imperatorum sepulcrum appellari.

Sed ohe! ne soli facem praeferre uideamur, mittamus certissimam rem, & exsequamur reliqua.

§. IX.

Verum ulterius progredientes uidemus conflictandum nobis esse cum IOHANNE de MVTTERSTATT scriptore rerum Spirensium, qui apud omnes antiquitatis amatores in summa laude est. Namque hic in Chronico suo: <sup>(a)</sup>

*Statuit etiam, inquit, praefatus Conradus II. ut de cetero Romani Imperatores uel re-*  
D  
*ges*

(a) loc. cit. p. m. 159.



*ges in citra montanis partibus morientes in eadem sua ecclesia in urbe Spirae fundata per ipsum & magnifice dotata sepeliri debeant.*

Quid? Siccine, inquires, omnino sancitum lege est ab immortalis memoriae Conrado, ne quis Imperatorum alio in loco quam Spirae daretur terrae?

Nobis quidem hoc non unicum in historiae studio dari exemplum uidetur, antiquissimi scriptoris, qui, rerum parum intelligens, omni fundamento destituta certissima esse firmissime asseueret. Sed cur conflictandum nobis sumimus cum IOHANNE de MVTTERSTATT? Victus iam est, & quidem a uiro, a quo uinci honor est gloriaque. Perillustris enim



enim L. B. de SENCKENBERG, Iohannis nostri istum locum carbone notauit, (b) errantemque in uiam reduxit, ita, ut simul elegantissimo sermone edoceantur lectores, legem de sepulcro successori ferri non posse.

Committamus nos uiae, quam uir eruditissimus praeteriens quasi obiterque nobis monstrauit, addamusque reliqua, quae ad materiam scribendi, quam sumimus, illustrandam pertinent.

§. X.

Principes in quodam publico negotio expediendo reipublicae gerunt uices, & ipsam, quod aiunt, repraesentant. Quam ob rem

D 2

non

(b) in Praefatione T. VI. select. iur. & hist. p. 57.



non directe, sed interposita ciuitate in negotiis publicis peragendis obligari dicunt principes successores, cum ius suum non ab eo, qui proxime ante eos decessit, sed ab ipso populo accipiant. (a) Itaque mediante republica successorem obligari ex his liquet. (b)

Verum enim uero aliter res sese habet in iis, quae ad libitum ab ipso concedente reuocari uel nulla declarari possunt, quae praestare non teneri dicunt successorem, quia huic non strictior eorum obseruatio incumbit, quam illi, a quo sunt profecta. (c) Quae si certa existimamus,

(a) GROTIUS de iur. Bell. & Pac. L. II. Cap. XIV. §. II.

(b) confer. Dni CHLADENII Diff. de obligatione ex facto Praedecessoris.

(c) B. RECHENBERGII Programma Inaugurale anno 1734. de hac materia conscriptum.



mamus, I ut sunt sane certissima: consequens est, ut Conradum II. de sepulcro legem ferre potuisse negemus. (d) Quis enim non uidet, si pius Conradus Spirensi ciuitati gloriam perpetui Imperatorum sepulcri esse uoluerit, hoc fuisse eiusmodi quid, quod Conradus pro lubitu reuocare potuerit?

## §. XI.

Digna quae aequa iudicii lance pensitetur, nostro saltem iudicio, hac de re est PAVLI LANGII sententia, scriptoris boni, qui de Spirensi tumulo hoc affirmat, VOLVISSE

D 3

Con-

(d) licet legem de hac re latam esse affirmet SLEVOGT de sepulturis Imperator Sect. I. membr. II. p. m. 59.



Conradum, Spiraë esse perpetuam Imperatorum sepulturam. (a)

Dubii profecto sumus ancipitesque utrum huic LANGII sententiae subscribamus nec ne? Quodsi enim haec fuerit mens auctoris; uoluisse Imperatorem sanctum folique Imperatorum sepulcro destinatum haberi istum locum, quae asserit affirmamus; si uero in uerbo: VOLVIT hic latet sensus, Conradum legem de omnibus Imperatoribus in posterum Spiraë sepeliendis tulisse, negamus pernegamusque.

§. XII.

Adeuntes communem Spirensis historiae fontem, aureum illum librum LEHMANNI, etiam

(a) Chron. Citiz. ad ann. 1025. p. 1138. T. I. collect. PISTOR. Edit. STRVV.



etiam hac de re quid sentiendum sit, praeclare edocemur.

Hic enim de Spirensi Imperatorum sepulcro uerba faciens <sup>(a)</sup> hoc solummodo asserit, Conradum iussisse, ut sepelirentur Spirae Imperatores, qui in Germania morientes, ubi sepelirentur ipsi non praeceperint. Et optimum sane hac de re existimamus LEHMANNI iudicium. Namque hac ratione, qua rem proponit auctor celeberrimus, in falsam sententiam de lege a Conrado Imperatoribus omnibus post eum lata minime inducimur, sed hoc saltem ex Lehmanni uerbis concludere licet; Imperatorem, qui neque testamento,

(a) Chron. Spir. L. V. Cap. 19. p. m. 365.



mento, neque alia ratione de sepulcro suo quid praeceperit, merito iureque Spiraë sepeliri. Non datur hoc modo lex successoribus Imperatoribus. <sup>(b)</sup> Namque his liberum in eorumque arbitrio positum erat, eligere sibi tumuli locum. Ac ne cum talis Imperator ex uita decederet, de loco sepulcri in contentionem uenirent proceres, & ex contentionibus discordiae, ex discordiis lites turbaeque orirentur, prouisum dispositione Conradi est. Non enim desunt exempla discordiarum, quae ortae ex illa re sunt. Dubii erant profecto proceres, cum Carolus M. obiret diem, quo in lo-

CO

(b) Quod quoque demonstrat Dn. BAVR, Syndicus Spiren-  
 rensis in comment. *de sepulcro Imperat. Spir.* Germanico  
 idiomate conscript. in *denen Marburgischen Beyträgen*  
 gen, 4. St. p. 40.



co humaretur diuus Imperator, tandem autem Aquisgrani corpus sepeliri decernebant. (c)

Quodsi tempore Caroli M. iam extitisset commune Imperatorum omnium sepulcrum, nulla eo tempore mentibus maiorum haesissent dubia.

### §. XIII.

Ad ipsam autem quod attinet dispositionem, non omnia fatemur hic remota esse dubia. Sed cum in rebus historicis, praeteritorum temporum caligine obrutis, raro ueritas ita pateat, ut dubitari plane non possit, etiam hic contenti simus, modo nobis contingat esse

E tam

(c) EGINHARDVS in uita Caroli Magni Cap. 31.



tam felicibus, ut quanquam non ueritatem, tamen probabilitatem cognoscamus.

Scilicet cum nemo unquam ipsum decretum Conradi scriptum protulerit, <sup>(a)</sup> ignoramus plane, an iste Imperator singulari quadam dispositione, aut an testamento sententiam ac uoluntatem suam de sepulcro Spirensi declarauerit. Namque nisi scriptores pauci, quos in nostro iam nominauimus libello, breuiter sepulcri Spirensis fecissent mentionem, ignoraremus plane, quae scimus de hoc monumento Imperatorum.

Sed hoc tamen non obstante plaeclare illos agere credimus, qui coniectura iudicant,  
dispo-

(a) Dn. HEVMANNVS de Imperatore mortuo §. VII. p. 29



dispositionem Conradi II. fuisse testamentum. Id quod ita demonstravit doctissimus BAVR, (b) ut non possimus non sententiam eius assensu nostro comprobare. Atque id eo magis, cum certum sit, testamenta principibus eo tempore haud fuisse ignota, (c) cum iam diu ante Conradi II. tempora Henricus (d) Auceps, ac (e) Otto II. maximi Imperatores, testamenta com-

E 2

posue-

(b) loc. cit. in denen Marburgischen Beyträgen, 4. St. III. §. 5 - 8.

(c) B. HEINECCI Diff. de Testamenti fatione iur. Germ. arch. limit. passim circumscripta. §. 10.

(d) WITICHINDVS Annal. Libr. I. p. 641. T. I. Collect. MEIBOM. Testamento itaque legitime facto, & rebus omnibus rite compositis, defunctus est.

(e) GOBELINVS PERSONA Aet. VI. Cap. XLIX. p. 252. T. I. collect. MEIBOM. ibi:

Imperator decumbens Testamentum condidit, & thesaurum suum in quatuor partes diuisit.



posuerint. Si itaque ultima uoluntas fuerit, qua Conradus ea, quae de Spirensi tumulto diximus, praescripserit, uaria inde duci possunt argumenta. Namque quis ignorat testamentum, & ea, quae in illo iubentur, ad heredes spectare. In nostro quoque res ita sese habet exemplo. Non solum enim (f) Conradus II. uti praeceperat, sed & filius eius Henricus III. (g) nepos Henricus IV. (h) & pronepos Henricus V. (i) Spirae terrae dati sunt. Atque hi omnes quidem ob pietatem magis, quam Conradi dispositionem Spirae sibi sepulcra eligebant, quia dulce est etiam post mortem

(f) CVSPINIANS p. m. 265.

(g) *Idem* p. m. 281.

(h) *Idem* p. m. 287.

(i) *Idem* p. m. 311.



tem quodam quasi contubernio frui parentum. Nunquam enim in Germania potestas parentum in liberos tanta fuit, ut liberis non fuerit permiffum disponere de sepultura ipforum, maxime mortuis parentibus. Quam ob rem, cum isti Imperatores Henrici nulla lege coacti fuerint ad sepulcrum sibi Spiraë constitutum, quare contendere uellemus, legem de isto tumulo successoribus Imperatoribus a Conrado II. esse latam, de quibus non cogitauit Conradus componens dispositionem?

## §. XIII.

Saepe in principum iure tractando uiros iuris peritissimos ex communi priuatoque iure, tanquam ex armamentario optime instructo,



argumenta petiisse grauisſima legimus. Quorum exemplis nos tueri ſi animus eſſet, magna eorum multitudo ingensque numerus in medium proferri poſſent. Sed in lectoribus rerum aequis aeſtimatoribus haec nobis poſita fiducia eſt, ut nos, a priuatis ſepulcris ad ſepulcrum Imperatorum argumentum ducentes, aſſenſu ipſorum dignos iudicent.

Sepulcra, quae uocant hereditaria, id iuris omnibus, qui ſunt ex familia, cui illa ſunt propria, tribuunt, ut in illis terrae dari poſſint. Merito quoque hi alios a mortuis in iſtum locum inferendis prohibent, uti nobiliſſima magiſtra experientia nos docet. Verum quem tantum fugit ratio, ut contendat in nullo



lo alio quam patrio eiusmodi homines sepeliri  
posse sepulcro? Habent profecto ius sepulcri  
sibi constituendi in isto loco. Hoc iure autem  
uti nolentes, non posse iubere, ut sepeliantur  
alio in loco, affirmandi rationem nullam ui-  
demus, & sane nullam uidemus, quia deest  
ratio. Quam quidem rem ex priuato in pu-  
blicum ius, tanquam ex una regione in alte-  
ram euntes, ita quoque sese habere in iis,  
quae de sepulcris Imperatorum disputauimus,  
inuenimus.

Habent hoc Imperatores, uti Iurecon-  
sulti loquuntur, beneficium, ut ossibus eo-  
rum cubare in Spirensi templo liceat. Quod si  
renunciant fauori huic, quis obtrudere illis  
audeat



audeat beneficium? Imperatores enim in sepulcro uicinos habere alios Imperatores gloriae sibi (a) ducebant, uti patebit ex iis, quae dicturi sumus.

## §. XV.

Gloriae enim stimulis ad hoc incitatos fuisse Imperatores, uariis possemus euincere argumentis. Sed maius eius rei testimonium afferri non potest, quam id, quod de moribundo RVDOLPHO I. cuius memoria ex animo nostro nunquam descendere debet, proditum memoriae est. Indictis Francofurti ann. 1290. comitiis, studebat RVDOLPHVS  
Impera-

(a) Dn. HEVMANNVS de Imperator. mort. §. VII. p. 30.

*Quidam locum istum ideoforte magnum fecerunt, quod honorificentius esse credebant iuxta plures Imperatores dormire.*



Imperator Germaniae proceres ad id inducere, ut Alberto filio tribuerent regis Romanorum dignitatem. (a)

Res profecto notatu dignissima nobis videtur, & ob multas alias & praesertim ob eam rationem, quia eo, quo haec scribimus, tempore, agi notum est amplissimum negotium, simillimumque illi, in quo ad finem perducendo diuus RVDOLPHVS istis temporibus occupatus erat. Suspensa mente expectat Germania tantae rei institutae exitum. Nos quidem, ut, quantum in nobis est, uotis ar-

F dentis-

(a) Eleganter hac de re exponit Dn. WIEDEBURG in Diff. de libertate Electorum S. R. I. in eligendis regib. Romanor. §. 4. in not. p. m. 27. & 28.



dentissimis prosimus patriae, precamur pio  
affectu summum Numen, ut iubeat bene haec  
euenire omnia. Quin fiat!

Sed ne extollere recentia ac incuriosi ue-  
terum uideamur, pergamus in iis explicandis,  
quae exorsi sumus.

RVDOLPHVS noster finitis comitiis  
tendebat Argentoratum, quo animum ex co-  
mitiorum strepitu reficeret. Sed minus diu-  
turna Rudolpho erat illa laetitia. Namque  
cum paucos ibi fuerit dies, accidit, ut, &  
ob Imperatoris aduersam ualetudinem, &  
ob senectutem, quae semper morbus est, me-  
dici affirmarent, breui tempore illum e uita  
exces-



excessurum esse. Minime territus hoc tristi  
 nuncio optimus RVDOLPHVS dixisse fertur:  
 EAMVS SPIRAM. (b) Sed oportuit illum  
 deponere uitam, priusquam Spiram ueniret,  
 qua tamen in urbe humatum corpus eius (c)  
 est. ADOLPHVS & ALBERTVS I. Impe-

F 2

ratores

(b) OTTOCARI HORNECKII Chronicon Austriac.  
 Rhythmicum. Cap. 377. p. 343. T. III. Scriptorum  
 PEZII. ibi:

Wil ich, sprach er, an dieser Frist

Hinc; Speyr, do ir mehr ist

Meiner Vorbarn

Die auch Chunig warn.

(c) TRITHEMIVS in Chron. Hirsaug. ad ann. 1291. Tom.  
 II. p. m. 56.



ratores diu post mortem, cum iam alibi sepulti essent, e terra eruti & Spiram delati sunt. (d)

## §. XVI.

Sed eheu! Quae rerum uicisitudines!  
 Quis enim tam animo duro est, ut non obstupescat inhumanitatem Gallorum, qui patrum nostrorum memoria in hoc splendidi-

diffi-

(d) vid. M. GEORGII LIZEL, Nachricht von Kayser Albrecht drey-mahligen Begräbnis: in Sammlung verschiedener Nachrichten aus allen Theilen der historischen Wissenschaften, 2. Band, 3. St. p. 218. seqq.

*Idem* in historischer Beschreibung der Kayserl. Begräbnis. II. Cap. 2. recenset Imperatores Spirae sepultos.



diffimum Spirense templum excitarunt incendium ? (a) Territi quasi tristissimo hoc aspectu, id solummodo colophonis loco addimus, hodie Imperatores plerumque sepeliri in sepulcro; in quo ii requiescunt, qui ex illorum sunt familia. (b) Nobilissimum quoque quod Viennaest sepulcrum, quodque haud ita pridem ipsi uidimus, mausoleum Imperatorum Austriacae stirpis haberi, dubium non est.

Sed

(a) *Theatrum Europaeum* Tom. XIII. fol. 684. seq.

add. LONDORPII *Acta Publica* Tom. XIV. Cap. V. n.

12. & 13. fol. 254. seqq.

(b) III. MOSERI *Staats, Recht* Part. VII. Lib. II. Cap.

133. §. 2. p. 19.



Sed felices effemus, si Austriacorum  
Imperatorum nunquam extitisset tumulus,  
optimique illi principes omnes effugissent  
fatum mortalitatis!

A Deo autem Optimo Maximo impe-  
petrare semper conabimur, ut condecoret  
incolumitate perpetua Gloriosissimum In-  
uictissimumque nostrum IMPERATO-  
REM, AVGVSTAMQVE CONIV-  
GEM ipsius dignissimam tanto Imperato-  
re, quibus nemo unquam neque sanctior  
iustitia, neque innumerabilibus in patriam  
meritis clarior extitit.

Clauda-



☆ ( \* \* ) ☆

XXXXVII

Claudatur & obfignetur in tempus longissimum sepulcrum istud, quo fera etiam posteritas uideat Austriae Imperatores summam Imperii Germaniae tenere.

Tantum.





PK T n 1384

Claustium & obsequium in tempore  
gignam sepulchrum illud, quo tunc etiam  
posteritas videat Austriae Imperatores sum-  
mam Imperii Germaniae tenere.

Tantum

petrare semper conabimur, ut condecorari



70







Q.K.  
38b,  
4.

X 2346606

27.

Π m  
1384

DE  
SEPVLTVRA IMPERATORVM SPIRENSI  
BREVIS COMMENTATIO,

QVAM

SERENISSIMO AC CELSISSIMO  
PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO

CAROLO,  
BRVNOVICENSIVM ET LVNE-  
BVRGENSIVM DVCI REGENTI,

OFFERVNT MENTE HVMISSIMA

LVDOVICVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ,  
AVCTOR,  
ET  
CAROLVS FRIDERICVS DE BEVLWIZ.

FRANCOVSAE, LITTERIS KEILIANIS,  
ANNO MDGGLII.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
HALLE  
UNIVERSITÄT

